



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

110. An iudex, qui non mandavit extrahere reum ab Ecclesia, sed satellites, vel alij extraxerunt vi, vel dolo, teneatur restituere reum in Ecclesia, vel possit contra illum agere? Ex part. 1. tract. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

responderet Sarpus, quia qui eximunt condemnatos & manibus familiae secularis incidunt in crimen laesae maiestatis, ex textu in leg. cuiusque verb. item qui confessum, ff. ad leg. Jul. Maiest. & docet Alexander consil. 35. num. 4. vol. 2. Burlarus consil. 216. num. 1. & 5. vol. 2. Vinius decis. 92. num. 4. & alij; quos plena manu citat Maltrillus in indulto c. 59. n. 1. & 2.

24. Verum contrarium tenendum est, maxime in terminis Bullae Gregoriana, in qua solum excluduntur ab immunitate Rei laesae maiestatis tantum in personam Principis. Vnde ex his etiam si eximunt in ipso actu eximendi vulnerarent, immo occiderent Satellites Regios vel fideles; si postea ad Ecclesiam confugerent; eius vitae immunitate gauderent: nam licet occiderent Officiales Regios committant crimen perditionis ex leg. 1. ff. ad leg. Jul. Maiest. & notant Doctores, quos citat Fatnacijs quest. 112. num. 136. Antonius de Amatis decis. 1. & 4. cum alijs. Tamen, vt dictum est, solum crimen laesae maiestatis in ipsam personam Principis excluditur ab immunitate. Ergo &c.

Sup. hoc supra in Ref. 54 sed lege etiam alias eius primae not.

RESOL. CIX.

An extractus violenter ab Ecclesia à parentibus occisi, si superueniat curia secularis, & capiatur debeat adhuc gaudere Immunitate?

Idem est, si metu iniuste illato, quod à iudice seculari capiendus sis in Ecclesia, & fugias ab ea, adhuc non potes capi, quia tunc non diceris egredi sed extrahi per violentiam. Ex part. 9. tit. 7. & Misc. 2. Ref. 6.

§. 1. **N**Egatiue respondet nouissime, vizus auctoritate Patris Suarez, Regens Sanfelicius tom. 2. decis. 286. n. 5. & distinguendum putat: nam, si Index misit alterum, qui tanquam priuatus amicus falsus, illum deciperet, vel inimicus vim inferret; tunc sine dubio non potest capere illum: quia actio principaliter est Iudicis, & idem ipse tenetur Ecclesiae restituere: si vero ipse nihil cogitando de priori iniuria, reum inuenit extra Ecclesiam; potest sine dubio illum capere & contra illum procedere; quia extra locum sacrum illum inuenit, & ibi incipit exercere iurisdictionem suam, & idem non violat immunitatem, neque ipse tenetur hominem restituere Ecclesiae; alter vero, qui illum extraxit, tenebitur restituere: quod si iam non potest, est per accidens, & satisfacet restituendo expensas, & damna, pro vt poterit.

2. Nec obstat id, quod dicitur, quod persona extracta sit priuata libertate, & venit restituenda, tanquam res affecta, quae ad quemcumque transit, cum vitio transit: nam responderetur; nullo iure id esse fundatum, & iura adducta loquuntur in casu dixerit, quando videlicet, cohaeret vitium. Et ita loquitur textus in l. Si abducta, C. de furt. In casu nostro etiam priuilegium praedictum competit personae, attamen competit ratione loci, & donec est in loco: vnde, si sponte exierit ab Ecclesia, non gaudet immunitate. Remig. in tract. de immunit. in princip. 3. praesuppos. n. 12. & seq. & fall. 12. Clar. in d. fin. 9. 30. n. 1. vers. Sed certe. At cum in Ecclesia nulla per familiam Curiae secularis illata fuerit violentia; sed extra locum sacrum captus, in quo persona erat priuilegiata, sequitur, non esse restituendum. Nec à Iudice potest dici spoliata persona immunitate, cum non adfuit consensus, & auctoritas ipsius in extractione ab Ecclesia; sed eam familia cepit, postquam ad locum non immunem traxerunt, & interdictum: vnde vis non competit contra illum; qui non spoliavit, cap. Cum ad Sedem de restit. spoliar.

3. Sed contrariam sententiam profus sustinendam esse puto cum Peregrino, Megala, & Genuesi firmati in part. 1. tract. 1. resol. 16. & nunc contra Sanfelicius iterum firmo cum Gregorio de Valentia tom. 3. disp. 6. q. 35. punct. 1. ad resp. ad 2. Bonac. tom. 2. disp. 3. q. 7. d. 2. n. 10. & Castr. Pal. tom. 2. tr. 11. disp. vnic. punct. 11. n. 2. qui nominatim refellit Suarez. Ratio est: quia illa extractio est violenta: sed omnis extractio violenta, est nulla, & reo praedudicare non potest; alias facile possent Iudices, confugientes ad Ecclesiam capere, & punire si per vim ab alijs extractos licite capere, & punire possent: ergo, Dices: Iudex, qui non fuit particeps huius violentae extractionis, dici non potest extrahere delinquentem à loco sacro, sed ex profano: ergo non violat immunitatem. Sed respondeo, Iudicem violare immunitatem: quia primam extractionem continuat: delinquens enim, etsi extra locum sacrum existat corporaliter; moraliter tamen reputandus est, ac si in loco sacro adesset; tum quia extractio nulla fuit: tum, quia immunitatis priuilegium non amisit, si quidem Ecclesiae est restituendus. At idem est, si metu iniuste illato, quod à Iudice seculari capiendus sis, fugias ex Ecclesia; adhuc non potes capi: quia tunc nem tam diceris egredi, quam extrahi per violentiam. Sic plurius comprobatur Fatnacijs in Append. de immunit. c. 2. n. 55. Et hanc sententiam, praeter Doctores citatos, tenet etiam, me citato, Trullench in Decal. 10. 1. lib. 1. c. 11. dub. 1. n. 14. Non est igitur recedendum ab affirmatiua sententia, quam contra Suarez communiter tenent omnes vt visum est, qui post ipsum scripserunt.

Quae nunc hanc sequitur, & infra in Ref. 112.

Sup. hoc lege doctrinam Ref. not. praeterita, & infra ex Ref. 127. 8. Ad id.

RESOL. CX.

An Index, qui non mandauit extrahere reum ab Ecclesia, sed suauiter, vel alij extraxerunt vis, vel dolo, teneatur restituere eum in Ecclesia, vel possit contra illum agere? Ex part. 1. tract. 1. Ref. 16.

§. 1. **I**n tali casu posse aduersus talem procedere, quia illum inuenit extra locum sacrum, putauit Suarez de Relig. tom. 1. tract. 2. lib. 13. cap. 3. num. 17 & idem illum non esse Ecclesiae restituendum, nec poenas violatae immunitatis incurere docet.

2. At ego semper contrariam sententiam tenui, quam postea docuit noster Megala in 3. p. lib. 4. c. 2. q. 1. n. 32. Peregrin. tract. de immunit. Ecclesia, c. 20. n. 324. Et ratio est: quia talis reus est affectus pro restitutione Ecclesiae, quae fuit dolo, seu vi spoliata: ergo ad quemcumque quae transferit, cum tali onere transit: sicut res furuiua transit ad omnes cum onere restitutionis cui de iure competit, scilicet; domino suae, adde, quod in Bulla dicitur. Extrahunt, capiunt, & incarcerant. Vt igitur dicta verba operentur effectum suum, iuxta cap. Pastoralis, de appellat. sunt intelligenda, capiunt, & incarcerant, scilicet, extractum. Ita Peregrinus. Deinde Summus Pater in ista Bulla puni attentantes aliquid praeter, vel contra eius formam: sed Iudex, qui, si non mandauit, tamen extractum non restituit, contra Bullam attentare dicitur; ergo illius poenam incurrit. Sed, quia talis casus accidit in vrbe Neapolitana, & vt supra diximus, fuit decisis: ponam verba Episcopi Genuesi. in praxi, c. 1. n. 5. vbi sic ait: Anno 1598. quidam assassinus interfecit quandam personam, & postea confugit ad Ecclesiam, à qua fuit per vim extractus à consanguineis occisi, & aliquibus satellitibus Curiae secularis, & eodem die coram Iudice seculari confessus fuit commisisse dictum homicidium per assassinum. Fuerunt per Curiam Archiepiscopalem citati omnes Iudices M. C. Vicaria, Advocatus, & Procurator Fiscalis, & etiam

Sup. hoc in Ref. praeterea, & infra Ref. 112. & ne deseras videre etiam doctrinam Ref. 111. & signatè §. Ad id. Ref. 117.

Supra in Ref. quae nunc est infra 113. & pro particula attentare, contenta in hoc textu lege supra Ref. 4.

De Immunit. Eccles. Resol. CXI. &c. 65

etiam Carcerarij, quatenus deberent restituere dictum extractum Ecclesie predictae, vel procurare eius restitutionem, & non impedire respectu ad finem, quod si constiterit Curiae Archiepiscopali à dicto delinquente fuisse commissum delictum exceptum in Bulla, posset eidem Curiae saeculari consignari: qui non aliter procuraverunt; sed post breue tempus laqueo suspendi fecerunt: & sic per Curiam Archiepiscopalem fuerunt declarati excommunicati omnes praedicti Iudices, Fiscales, Carcerarij satellites, & sanguinei occisi, qui extraxerant dictum iuvenem à dicta Ecclesia. Itra Genensis. Vnde apparet, omnes reos extractos ab Ecclesia vi, vel dolo per quoscunque personas, esse à iudice laico Ecclesiae restituendos: & si aliter fecerint, in excommunicationem, & poenas Bullae Gregorianae incident.

RESOL. CXI.

An reus amittat Immunitatem, qui deceptus fuit subtilis verbis, & fallacijs ad egrediendum ab Ecclesia, & index possit illum punire? Ex part. 1. tract. 1. Ref. 26.

§. 1. **A**ffirmatiue respondet Bonacin. de leg. disp. 3. §. 1. 7. §. 2. n. 10. Filliucius tom. 1. tract. 15. cap. 6. n. 154. Duard. in Bulla Cœn. lib. 2. can. 15. §. 16. n. 34. Fagundez de Praep. Ecc. tract. 2. lib. 4. cap. 4. num. 56. qui citat Suarez, & Nauarum; quamobrem asserit: [Videant delinquentes, ne se falli sinant: vbi primum enim à loco sacro sponte egrediuntur, hanc immunitatem amittunt: Fallit tamen hoc, iuxta Syluest. verb. immunit. 3. n. 34. nisi exeant ad requisita natura, cui libenter adhaere: indecens enim est: vt Ecclesia Dei: & locus sacer, qui omni odorum suffimento olere debet, his immunditijs sordescat.] Ita Fagundez. 2. Non reticebo tamen, contrarium docere Bobadil. in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. n. 80. ibi. [Aunque por palabras blandas: o engañosas, o promessas, &c.] Idem docet Villadiego in Polit. cap. 3. num. 222. & noster P. Megal. in 3. p. lib. 4. cap. 2. quæst. 1. num. 32. vbi asserit. Et praedicta procedunt, etiam si blandis verbis, vel fallacijs à ministris Iustitiae, vel Iudice inductus delinquens sponte exire. Vnde hæc sententia in fauorem Ecclesiae amplectenda videtur, & illam etiam docet Masfrill. heu quondam noster lib. 2. decis. 169. num. 12.

RESOL. CXII.

An index laicus violet immunitatem Ecclesiae, si carceret aliquem a personis priuatis per vim extractum ab Ecclesia?

Et notetur, quod priuata persona, qua extraxit aliquem ab Ecclesia, afficitur censura Ex part. 4. tract. 1. Ref. 102.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Suarez de Religionem tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 13. num. 17. & 19. in fine, quia talis index, vt suppono, non fuit particeps extractionis: ergo non incurrit poenas. 2. Sed ego affirmatiuam sententiam prorsus tenendam esse puto, quia illa extractio irrita fuit & nulla: ergo extractus illicitè, nec iuridicè potuit à iudice laico incarcerationi, quamdiu per extractum non stetit, ne in loco sacro responderetur. Adde quod Gregorius XIV. in sua Constitutione interdixit illas actiones per particulam vel, quae est alternatiua, ibi capere, extrahere, aut carcerari, & ita docet Bonacina in Decalog. disp. 3. quæst. 7. punct. 9. num. 10. Valentia tom. 3. Tom. IX.

disp. 6. quæst. 15. punct. 1. ad 2. & Genens. in praxi c. 17. num. 6. vbi etiam rectè notat cum Peregrino de immunitate cap. 14. num. 10. & alijs contra Gambacurtam lib. 8. cap. 7. num. 4. & 5. quod priuata persona quæ extrahit aliquem ab Ecclesia afficitur censura.

RESOL. CXIII.

An si constaret notorie reum non gaudere Immunitate Ecclesiae, possit illum index saecularis extrahere ab Ecclesia sine licentia Episcopi? Ex part. 1. tr. 1. Ref. 14.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Gambacurt. lib. 6. cap. 14. & lib. 8. cap. 10. Villadiego in Polit. cap. 3. num. 238 & ante Bullam Gregor. probabiliter docuerat Suarez de Relig. tom. 1. tr. 2. lib. 3. c. 11. 2. Sed hodie post Constitutionem Gregor. XIV. vt notat Filliucius tom. 1. tract. 15. cap. 6. num. 154. & Durandus in Bulla Cœn. lib. 2. can. 15. quæst. 16. num. 31. hæc opinio est prorsus repellenda, & non audeant Iudices illam in praxi obseruare, nam sine dubio excommunicationem incurrerent, & contra sacram immunitatem efficerent. Et ita fuisse decisum in Curia Archiepiscopali Neapolitana, testatur Genens. in praxi, cap. 17. num. 5. & Riccius, p. 5. collect. 1791. & idem docet Lazarius tract. de Blasphem. quæst. 5. n. 71. vbi sic ait: [Forma huius Constitutionis seruanda est etiam si confugientem ad Ecclesiam, notorium sit, commississe delictum exceptatum in ea: adhuc enim Episcopus debet prius cognoscere, an hoc sit verum; & postea cõsignare reum Curiae saeculari: alijs extrahentes i current censuram & reus est Ecclesiae restituendus] Hoc etiam docet Farinac. in Append. immunit. cap. 22. numer. 359. Raynerius in Catal. censur. capite, 9. excom. 31. notab. 3. & nouissimè Franc. Zipæus in sua Anal. Iur. can. lib. 3. de immunit. Eccles. n. 12. cum nostro P. Megala in 3. part. lib. 4. c. 2. §. 1. num. 31. vbi asserit, formam huius Constitutionis esse seruandam, licet notorie cõstet reum commississe delictum in hac Extrauaganti exceptum, nam etiam si notorium releuet ab onere probandi cap. vestrade cohabit. Cler. & nul. tamen non releuat, quando probatio requiritur pro forma. Hæc ille, & alij, Ex quibus constat, me his diebus elapsis in quodam supremo Ministro Regio rectè opinionem Gambacurtæ reprobasse, illum à tali sententia amouendo.

Sup. hoc in duabus Ref. seqq.

RESOL. CXIV.

An in casibus exceptis liceat iudicibus saecularibus sine licentia Episcopi reos ab Ecclesia extrahere? Ex part. 4. tract. 1. Ref. 42.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Ludouicus Correa in relect. ad cap. inter alia, de immunitate Eccles. part. 4. num. 10. Acugna in Decret. Gratian. part. 1. disp. 87. cap. 6. num. 7. Iulius Clarus lib. 5. quæst. 30. §. fin. num. 20. Covarr. lib. 2. variar. cap. 20. n. 18. Guido Papa decis. 121. num. 1. Boerius decis. 109. n. 2. Guilielmus de Benedictis in repet. cap. Raynuius ver. & vxorem, num. 444. & alij testantes ita obseruari in praxi.

2. Sed hodie hæc sententia non potest sustineri, stante Bulla Gregor. XIV. vt ego ipse satis firmaui in part. 1. * resol. 14. cum multis Doctoribus, quibus nunc addo Ambrosinum de immunitate cap. 11. * Quae hic num. 1. Simonem Rao in respons. ad dubia super immunit. Eccles. fol. mibi 27. vbi citat Aufretium, Vulpellum, Cynum & Syluestrum, & nouissimè Peregrinum

Sup. hoc in Ref. praeterita, & in Ref. seqq.

Quae hic est Ref. antecedens.